



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Flos Pietatis Matutinæ, Diurnæ, Vespertinæ

Monasterii Westphaliæ, [ca. 1735]

Praxis Confessionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46598)

VIII. Doleo de peccatis meis, ô Deus, quia Te offendi, qui es infinita Amabilitas, infinita Suavitas, Sanctitas, Pulchritudo, Dulcedo, Perfectio, cui ego voluptatem momentaneam, lucrum exiguum, honorem evanidum perfidè præposui. O quanta cœcitas, & malitia.

Alium actum contritionis & propositi habes pag. 71. & seq.

P R A X I S

Confessionis.

Ante confessionem, ingressus sacrum tribunal benedictionem pete his verbis: Benedic Pater: Et formato signo crucis, subjunge.

Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ semper Virgini, omnibus Sanctis, & tibi, Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere.

Deinde, indicato tempore ultimæ confessionis, peccata tua recense. 1. Humiliter, ea non excusando. 2. Breviter,

E 2

super-

*superflua non narrando. 3. Sincerè,
peccata non palliando. 4. Honestè &
clarè, ut satis intelligantur. 5. In-
tegrè addendo speciem & numerum
certum, vel si eum nescias, verisimilem,
ità ut nullum peccatum mortale, volun-
tariè omittas, quia hoc grande sacrile-
gium est: Et sic denique concludè.*

De his & omnibus aliis peccatis meis
doleo ex intimo corde, quòd Dominum
Deum summum Bonum offenderim, de-
testor illa, & firmissimè propono me
emendare, petoquè salutarem pœniten-
tiam & absolutionem.

*Sub absolutione cogita animam tuam mun-
dari pretioso sanguine Jesu Christi: cujus
merita per Sacramentum tibi applican-
tur, & breviter renova actum contri-
tionis.*

O Deus propitius esto mihi peccato-
ri, ô quam doleo, quòd te summum Bo-
num unquam offenderim, propono e-
mendationem.

Post

Post Confessionem.

*Pœnitentiam, tanquam à Christo injun-
ctam, libenti animo accipe, & quàm
primum potes, exequere. eâque pera-
ctâ sic precare.*

O R A T I O.

Post Confessionem.

SIt tibi, obsecro, meritis Beatæ sem-
per Virginis Genitricis tuæ Mariæ &
omnium Sanctorum grata & accepta ista,
confessio mea, & quidquid mihi defuit,
nunc & aliàs de sufficientia contritionis,
de puritate & integritate confessionis,
suppleat pietas & misericordia tua; &
secundùm illam digneris me habere ple-
niùs & perfectiùs absolutum in cœlo; qui
vivis & regnas Deus in sæcula sæculo-
rum, Amen.

Alia,

LArgire mihi Domine gratiam co-
piosam, vitam seriò emendandi, &
in gratia tua usque ad mortem perseve-
ran-

randi. Per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Denique à Christo tibi dici cogita:

Vade, & jam amplius noli, peccare.

METHODUS.

Extirpandi vitia, & inserendi virtutes, per examen particulare.

Examen particulare à S. Ignatio exactè traditum, est illud, quod non, ut generale, omnia vitia simul persequitur, sed unum particulare vitium extirpandum, vel unam virtutem inserendam suscipit. Faciliùs enim hostes vincit, qui successivè, quàm qui omnes simul aggreditur. Pro hujus praxi sequentia puncta sunt.

PRÆNOTANDA

Pro clariori notitia hujus
Examiniis.

*I. Scias velim summo studio tibi ad-
lebo-*